



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Clitvs E Praervpto Specv, innitens hastæ cruentæ, cernit Alexandrum. Ode  
XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

## CLITVS

## E. PRAERVPTO SPECV,

*innitens hasta cruenta, cernit Alexandrum.*

## ODE XXI.

**L** Vcem perosi noctis æternæ lares,  
 Mortisque thalami, luridum Acherontis chaos,  
 Horrorque Ditis affecla, & rabidi dolor  
 Comes furoris; tuque ferali horridas,  
 Cocyte, tundens amne Furiarum domos,  
 Vigili quietem pectori, & somnum fibris  
 Cur invidetis, nec finitis altâ nigras  
 Sepelire curas nocte? præcipiti furor  
 Succensus cæstro feruet, ac premi negat,  
 Sequè ipse pascit: tundit, ac rodit iecur  
 Infomnis ales: Tantali exerceat fitis  
 Anhela fauces, quam nec vuarum parens  
 Nysæa tellus reprimat, aut quicquid Maron  
 Exhaustit inter turbidos Panum choros,  
 Interque magno Mænadas plenas Deo.  
 Remouete pinus, pallida Sororum cohors;  
 Ingeritis atras lucis exosæ faces,  
 Ut inulta fati vulnera, & fœdi notas  
 Cernam pudoris? Sanguis, heu! semper recens  
 Inerrat oculis sanguis, atque atrox hiat  
 Vlcus, odioque pandit incluso viam.  
 Et adhuc inertî dexterâ iniussis premis  
 Hastam tyranni vulnere cruentam tuo?  
 Desertor animæ, miles in epulis ferox,  
 Calidusque Baccho, frigidus at ultor necis;  
 Agè, pande, rumpe claustra tenebrosi specus,  
 Quòque hospes agrî pectoris rapit furor,  
 Gradum capeffe; sequere lymphatum impetum  
 Adeste, adeste socia Tartareæ domûs,  
 Adeste monstra: poscit vltices Deas

Vin-

Vindicta nimum sera. Rhadamanthus vocat.  
 Vindicta ! semel aude anime, quod statuis diu.  
 Quid video? vindex percussit fibras calor,  
 Dubiusquè trepidis sanguis in venis micat.  
 Cædis cruentum cerno carnificem meæ,  
 Umbraquè tristis ora. Quid vano nouos  
 Metitur orbis somnio? an superis redux  
 Vescetur auris rursus? an nondum sui  
 Mens gnara fari credulo pascit leues  
 Errore curas, nec satis didicit mori?  
 Impia, superba, sæua, detestabilis,  
 Immanis umbra; lumina huc torque improba;  
 Insomne monstrum. Somnia excutias licet,  
 Et hæc trophæa potiùs, hæc spectes trucidis  
 Monumenta dextræ: sanguis hic poscit tuos  
 Inultus oculos. Cernis? agnoscis notas?  
 Epulis amicos nôsse iam positus licet.  
 AL. Agnosco spectrum triste. CL. Talem conspicias,  
 Qualem illa fecit fortis in tenebris manus.  
 Fortuna sed te dextera etiamnum beat,  
 Decorequè regni splendido intexit comam;  
 Effare: scepro pallidos premis lares;  
 Plutone pulso, & vulgus Elysiùm tuis  
 Parere iussis didicit? AL. I, disce ebrios  
 Frænare tandem perfidæ linguæ sales:  
 I perduellis, crapulam exhales licet.  
 Non hinc procaces verba crateres cient;  
 Armatuè linguam Bromius: hinc Clitum quoquè  
 Semel esse fas est sobrium. CL. hos animos geris  
 Etiam peremptus? mortuum vini calor  
 Nondum reliquit? mortuum? ô ingens probum!  
 Subire soboles potuit Ammonis necem?  
 Quis heu, quis Orci trusit ad tenebras Ioue  
 Genitore cretum! AL. Reprime verborum fauces.  
 Sua iura nôrunt inferi; haud solus luit  
 Malè temperatæ Tantalus linguæ probra.  
 Ditia malorum Tartara in fontes fati  
 Fœcunda superant; sæua non frustrà rotæ

Megæra flammæ, flagra nec frustrâ intonat.

CL. Tu flagra nobis, iura tu nobis Stygis  
Minitaris, improbe? iste te poscit cruor,  
Tequè ad tribunal vrna Rhadamanthi vocat.

AL. Vrna Rhadamanthi menè deposcit reum?

Quis te repentè Stygius inuasit vapor?

AEquo innocentem perfidus regem cliens

Terrere sperat iudice? Tribunal volens

Adibo, & oris comprimam effræni minas.

## CARMEN

## SECVLARE:

Pro Ecclesiæ Romanæ incolumitate,  
in anno Iobilæi M. DC. L.

*Cùm INNOCENTIVS X. Pont. Max. portam sanctam  
more maiorum solenniter aperiret.*



CHRISTE, stellarumquè potens MARIA,  
Par patri summo caput, & secundum,  
Supplices audite bono rogati

Tempore lustri:

Quo sacræ Mosis voluère chartæ  
Virginum mistas pueris cateruas  
Debitam pompæ Superûm sequaçi  
Promere laudem.

Viue fons, iugi scatebrâ reos qui  
Tingis, & purgas, opiferquè semper  
Laberis, præter nihil ire possis

Purior Vrbe.

Diua, perplexæ Cynosura vitæ,  
Syrtibus deduc medijs clientes;  
Si matris stellam benè te vocamus;  
Si benè nauim.

Virgæ